Dixi autem legem humanam posse obligare ante sententiam iudicis ad quancunque poenam passivam, seu privativam, quia non semper de facto obligat, sed potest aliter disponi in iure communi aut particulari, ut in nostro Ordinis constitutionibus disponitur, nam in eorum prologo sic dicitur: *Poenas tamen abstulimus ad officio, privationis vocis activae, vel passivae, gravioris culpe, & alii minoribus (quantumcumque tam in constitutionibus quam extra ipso facto sine incurrendis) nisi sit poena excommunicationis lata sententia, nullus sit subiectus, nisi superveniat declaratio Praelati respectu cuius, quantumcumque etiam notorium fuerit, aut iuribus, aut iuribusque interveniat.*

Dico secundo, regulariter & ordinarie loquendo, legem humanam non obligare in conscientia ante condemnationem & sententiam iudicis, ad poenam activam, sed quae ad sui executionem aliquam rei actionem requirit.

33) Probat primo: Ex Ilidoro & D. Thomae lex humana debet esse possibilis secundum naturam & consuetudinem patriae, idest tolerabilis, & accommodata humanae conditioni: Atqui lex obligans hominem ad exequendum in se poenam legis per propriam actionem, ante iudicis sententiam, non esset tolerabilis, & accommodata humanae conditioni, sed intolerabilis, & nimis dura, ut constat communi omnium consensu, & attestatur ipsa inclinatio naturalis, quae hoc abhorret & resugit: Ergo lex humana ordinarie loquendo non obligat hominem ad exequendum in se poenam legis per propriam actionem, ante iudicis sententiam, sed sufficit si poenam ab alio infligam patitur. Dixi, ordinarie loquendo, ad inveniendum quod interdum leges humanae ad id obligare possunt, maxime cum ad levem poenam obligant. Nam in aliquibus Religionibus praecipitur recitari aliquos orationes, aut levis aliqua castigatio, iis qui legem aliquam seu constitutionem violant, absque eo quod sit opus sententia vel declaratione praelati.

34) Probat secundo conclusio: Executio poena per actionem positivam, est actus iudicis sive ministri publici: Ergo reus non tenetur ante iudicis sententiam exequi in se ipso poenam requirantem aliquam actionem positivam ad huiusmodi executionem. Consequentia est evidens, tum quia reus non tenetur exequi nisi illa quae sunt rei, non vero illa quae sunt iudicis, maxime in causa propria, in qua nemo est reus iudex. Tum etiam quia reus solum tenetur pati, cum ad id solum obligatur per legem poenalem, immo eundem hominem esse agentem & patientem passione afflictiva; ipsa natura resugit. Antecedens

vero probatur: Poenitio quae pertinet ad executionem poena est actus legis, tenens se ex parte illius, ut disp. 1. ostensum est: Ergo cum lex sit iustitia quadam inanimata, eget ministro vivo, nempe iudice, qui ille dicitur iustitia ab Aristotele 5. Ethicorum, ut applicet poenam reo, agendo in ipsam per punitionem: Ergo executio poena est actus iudicis, sive ministri publici. Hanc rationem innuat S. Thomae 2. 2. q. 62. art. 3. ubi sic ait: *Quantum ad culpam adhibetur remedium per poenam cuius institutio pertinet ad iudicem. Et ideo antequam sit condemnatus per iudicem, non tenetur resistere plusquam accipit; sed postquam condemnatus est, tenetur poenam solvere.*

Probatur tertio: Leges humanae propter crimen haereticis (& idem est de crimine lese Majestatis) decernunt poenam confiscacionis omnium bonorum ipso jure & facto, ut patet ex cap. *Cum secundum leges*, de haereticis in Sexto, & cap. *Urgentis*, de haereticis: Sed non obligant ad hanc poenam in foro conscientiae, ante iudicis sententiam, ut ex iisdem capitibus colligitur: Ergo similiter aliae leges poenales, alias poenas positivas imponentes non obligant ad illas subeundas, ante sententiam iudicis, v. g. lex lata contra defraudantes tributis, non obligat illos ad tradendum mercem suam fisco, ante sententiam iudicis, alioquin legis transgressor seipsum prodere cogeretur, quod esset intolerabile, & contra illam Chrysostomi sententiam, *non dico tibi ut prohas in publicum, quae refertur can. Quia aliquando*; de poenit. dist. 1.

S. II.

Solvuntur Obijctiones.

Obijcies primo cum Soto contra primam conclusionem: *Contra jus naturae est, ut quis damnetur, antequam audiat: Ergo etiam contra jus naturae erit ut quis ad poenam sive positivam sive privativam obligetur, ante iudicis sententiam. Consequentia patet. Antecedens vero probatur tum ex Gregorio 6. *Suspensio*, de causa possesse. propriet. ubi ait: *Nec contra invidiam partem nihil possimus designare.* Ubi Soto expendit verbum *possimus*, non enim dicit, *non volumus*, sed *non possumus*: natura id vetante. Tam ex can. *Judex* 2. q. 1. ubi dicitur, nemo condemnatur, nisi ante per innocentem testes convincatur; &c. Tam ratione, sepe enim qui legem violavit, allegare potest vel ignorantiam, vel infirmitatem, vel vehementem aliquam tentationem, vel fortasse quod non tam graverit in legem impigerit, ut dignus sit totius poena acerbitate.*

Confirmatur: Nemo potest in propria causa esse sui iudex: Ergo nemo tenetur ante iudicis sententiam poenam subire, tamen illa poena non sit positiva, sed tamtaxat privativa, & nullam ad sui executionem rei actionem requirit.

Ad objectionem respondeo: Antecedens verum esse de damnatione quae fit per iudicis sententiam, non vero de illa quae fit per legem: quia cum fit per iudicis sententiam, debet omni meliori modo delicti causa a iudice examinari, ac proinde oportet illum, non solum ex testium iudicio, sed etiam ex ipsius delinquentis confessione examinare: cum autem fit per legem, reliquitur iudicio & conscientiae ipsius delinquentis, qui melius quam quisvis alius potest de suo delicto iudicare, an poenam lege taxatam meruerit.

Addo quod, si hoc argumentum Soti valere, sequetur quod excommunicatus ipso facto, non possit ante iudicis sententiam, poenam excommunicationis subire, cum etiam excommunicatus possit excusacionis causas assignare, nec in proprio delicto sui iudex esse possit. Quare sic contra naturam non est, ut quis sit sui iudex in causa excommunicationis, & in ceteris legibus supra citatis, in quibus ante sententiam iudicis reus privat beneficiis Ecclesiasticis; ita neque erit contra naturam esse sui iudicem in aliis legibus, quae poenas privativas ipso facto incurrendas pro aliquibus criminibus statuunt, cum non sit major ratio de illis, quam de istis. Ex quo patet ad confirmationem.

Obijcies secundo contra secundam conclusionem: *Legislator habet potestatem obligandi in conscientia ad poenam iustam, ante iudicis sententiam, tamen illa poena ad sui executionem requirit actionem ipsius rei: si ad talem poenam obligare voluerit, sed hanc suam voluntatem exprimat per illam particulam legis, *ipso facto, aut ipso jure*, quia per nulla verba potest commodius aut melius explicari. Ergo leges poenales continent poenas latas, obligant ante iudicis sententiam, tamen illa poena, ad sui executionem ipsius rei actionem requirit.*

Confirmatur primo: Si huiusmodi leges non obligentur ante iudicis sententiam, illa particula, quae in illis apponitur, scilicet *ipso facto*, vel *ipso jure*, frustratae essent, quod praecipue urget de particula *ipso facto*, quae interdum legibus illis superadditur, nempe quod ipso facto, & sine alia declaratione poena incurritur.

Confirmatur secundo: Illa particula sufficiunt, ut incurramur poena excommunicationis, suspensionis, & irregulari.

gulari iis. ante iudicis condemnationem, ut omnes lateri- tur: Ergo idem erit de aliis penis, tametsi positivæ sint, & ad sui executionem, aliquam rei actionem requirant.

81 Ad objectionem respondeo, legistatorem habere quidem potentatem obligandi in toto conscientia ad penam iustam ante sententiam iudicis, tametsi talis pena requiratur actio- nem ad sui executionem, si id expedit bono communi; tunc enim illud non est exilium inintolerabile, & ipse reus tenebitur exercere simul utramque rationem rei & ministris ipsius legis; quia tamen regulariter loquendo, hoc non expedit bono communi, & esset nimis rigidum & intolerabile, præsertim si pena ipso facto subeunda, gravis & acerba sit, & natura valde repugnans, legisla- tor, regulariter loquendo, non obligat ad subeundam pen- am, ante sententiam iudicis, quando talis pena ad sui executionem aliquam rei actionem requirit, sufficit enim bono communi, si patitur illam, post sententiam iudicis, eo vel maxime, quia exequi penam requirentem ali- quam actionem, de se loquendo, non ad reum, sed ad ju- dices; & ejus ministrum pertinet, ut supra ostensum est.

Ad primam confirmationem, nego sequelam Majoris, licet enim leges humane non obligent ad talem penam, ante sententiam iudicis, particula ille, ipso facto, vel ipso ju- re, non ponitur frustra in illis, quia aliquem alium ef- fectum inducunt, nempe assignationem penæ ipso facto, ita ut non requiratur sententia iudicis ad assignandam ill- lam pro tali delicto, sicut requiritur in aliis legibus continen- tibus penam subeundam, sed solum ad declarandam crimen patratum fuisse a transgressore legis. Illa vero parti- cula, abque alia declaratione, superaddita aliis præceden- tibus, sumitur ad majorem præcedendum explicationem; unde nec superfluit nec necesse est, ut habeat vim obligandi, ante iudicis sententiam.

83 Ad secundam, concessio Antecedente, nego consequen- tiam & paritatem, patet enim ex dictis in secunda con- clusione, longe disparem esse rationem de penis privati- vis, ac de positivis, quæ ad sui executionem aliquam rei actionem requirunt.

ARTICULUS III.

Utrum transgressor legis penalis tenetur in conscientia subire penam legis, post iudicis sententiam?

§. I.

Quædam præmissa, difficultas propositæ triplici conclusione resolvitur.

84 Notandum primo, seu potius ex dictis articulo præ- cedenti recolendum, duplex genus penæ lege hu- mana latui posse: alterum consistens in pura passione, que ad sui executionem nullam requirit actionem, præter ipsum legislatoris imperium, ut iudicis sententiam, vel declarationem; ut sunt penæ inhabilitantes personas, ir- ruitantes contractus, & condicæ Ecclesiasticæ. Alterum est, penam quæ ad sui executionem requirunt aliquam actio- nem, que exerceri potest vel ab ipso reo, vel ab alia per- sona distincta. Quoad primum, ænis penæ, cum nullam requirit actionem, præter legislatoris imperium, vel iudicis sententiam, ad nihil tenetur reus ut illam incurrat, cum etiam illam invitus pati possit, solumque tenetur, postquam illam contraxit, nihil agere contra eam. Solum ergo difficultas est de penis secundæ generis, an nimirum reus tenetur vel possit illas in se exequi, post iudicis sen- tentiam, certum enim est, quod si sint iustæ, & a iudice vel ministris ejus infligantur, eas post iudicis sententiam pati & sustineri tenetur, alias daretur bellum iustum ex utraque parte, etiam nulla supposita ignorantia, quod impli- cetur.

85 Notandum secundo: penas quæ ad sui executionem aliquam actionem requirunt, esse adhuc duplicis generis, quædam enim sunt quarum actio ad executionem requisi- ta a nemine commodius exercetur, quam a reo qui penam patitur, v.g. actio quæ requiritur ad executionem exilii, vel penæ pecuniariæ: alia quarum actio ad exe- cutionem requisita, commodius exercetur a iudice vel mi- nistris ejus, v.g. actio quæ requiritur ad abscissionem ca- pitis, vel mutilationis alicujus membri. Præterea actio- nem quæ modulationis exercetur a iudice, vel ministris ejus, quædam sunt violentæ, ut abscissio capitis; aliæ vero non-violentæ, & quæ voluntarie exerceri solent, ut flagellatio seu disciplina, quam Religiosi solent spon- te suscipere, ad carnis macerationem. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ.

Dico primo; transgressor legis penalis tenetur in con- scientia subire, post iudicis sententiam, penam illam quæ ad sui executionem requirit actionem, quæ commodius exercetur a reo; non vero penam illam ad ejus execu- tionem requiritur actio, quæ commodius exercetur a ju- dice vel ejus ministris.

86 Prima pars patet: nam quando quis exilio, vel pena pecuniaria mulcatur, tenetur egredi et regno vel civitate,

aut pecuniam solvere, hoc enim nihil crudelitatis aut in- iustitiæ continet. Potest tamen in pecunie solutione expe- ditione utatur, quia licet possit iudex injungere ut detur, quamvis non petatur, communiter tamen id non facit.

87 Secunda vero probatur ex eo quod sententia penal- is, sicut & lex, benigne est interpretanda, cum sententia sit applicatio illius legis, quam benigne esse interpretandam, est communis animi conceptio, & dispositio juris: Ergo non teneretur reus ad exequendam illam penam in seipso, cuius executio commodius fit a iudice vel ministris, sed sufficit esse paratum ad illam sustinendam, quando infligetur ab illis. Patet consequentia, nam alias non benigne sed durissime interpretarem sententiam illam.

Dico secundo, non potest obligari reus a iudice per suam sententiam, ut sibi inferat penam, ad ejus execu- tionem requiritur actio violenta: v.g. non potest obligari ut seipsum occidat, vel mutilat, aut suis manibus sumat venenum, vel pereat media, tametsi tibi illi offeratur.

88 Probatur: Nam etsi pena mortis, vel inedia, vel alia similis, secundum se non sit inhumana, sed multoties iustifi- sima & mitis, attenta criminum gravitate; iste tamen mo- dus executionis, scilicet quod propriis manibus reus sibi inferat mortem, inhumanus est & crudelitate plenus: nihil enim magis abhorret natura, cui naturalis est vite con- servatio, quam manus violentas sibi inferre usque ad in- tercessionem: Ergo iudex sua sententia non potest ad id obligare. Nec est par ratio de quibusdam actionibus, que remote tantum ad ipsius rei mortem cooperantur, ut pa- tibulum ascendere, extendere linguam amputandam, col- lum denudare, illudve carnis truncandum offerre; nam tales actiones ex se & ex natura sua indifferentes sunt; neque inhumana & crudelles redduntur, quin potius com- modiores & laudabiliores, si ab ipso reo executioni man- dentur.

89 Ex his intelliges, quod si ex amore naturali erga pa- trentes, tenetur non inferre illis mortem, quamvis ad eam iuste damnati essent, & executio sententiæ nobis committeretur ac præcipieretur a iudice; ita neque erga nos ipsos postsumus licite illam exequi. Ac ne quidem ad vitandam mortem acerbiorum licitum est sibi vel illis mortem mitio- rem consistere abscissionem venæ, quamvis a iudice obla- to, vel alio quopiam modo, quia iure & præcepto natu- rali prohibetur et proprie obsecrioni positive cooperari.

Intelliges etiam, falsam esse acerrimam Tamburini & aliorum recentiorum Casuistarum sententiam, quæ asserit iuste damnatum ad fame perire, posse oblatum panem res- pueri. Nam, ut recte dicitur S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. Nullus ita condemnat quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur, & ideo non tenetur facere ut unde mors sequatur, tenetur tamen non resistere agenti quæ patiatur quod iustus est eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, si cibum, sibi occulte ministratum, sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere. Quæ ultima verba probant, taliter condemnatum, non modo posse, sed & teneri, cibum sibi oblatum sumere, quia nulli fas est seipsum occidere. De quo sustinet in dissertatione de probabilitate.

Dico tertio potest iudex sua sententia obligare reum ut sibi inferat penam, ad ejus executionem requiritur actio, quæ commodius exercetur a iudice vel ejus ministris, dum- modo talis actio violenta non sit.

Probatur, quia hoc nihil continet crudelitatis, & fit in domibus religiosis, & in officio sanctæ Inquisitionis, in quo interdum reus præcipitur, ut suis manibus, fumant disciplinam, seu levem aliquam & non ignominiosam flagellationem, quam solent multi sponte suscipere, ad car- nis macerationem.

§. II.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

89 EX dictis colligitur, iudices inferiores teneri in con- scientia iis qui legem transgrediuntur, penam lege taxatam imponere. Iudex enim ad hoc positus est a Re- publica, ut per legum observantiam & custodiam, illam in pace & concordia conservet: Ergo contra suam officium ageret, si legum transgressores debita pena non puniret; esset enim Republicæ infidelis, antequam daret ut passim vitia & delicta, cum publico detrimento communitatis, grassarentur.

Commutatur, quia aliqui leges nullam vim haberent, nisi teneretur iudex penam imponere, saltem quando non teneretur reus ante sententiam iudicis eam subire, quod ut primum contingere, ex ante dictis perspicuum relinquitur.

87 Dixi, iudices inferiores, quia legislator, ex communi sententia potest penam remittere transgressori; cum obligatio si quam habet ad penam imponendam, oritur ex sua lege, quæ tamen non tenetur. Verum cum ille potestate quam habet condendi leges, & puniendi transgresso- res earum, uti debet in bonum Reipublicæ, non erit liber a culpa,

culpa, si reo sine causa rationabili penam lege statutam condonet, cum talis impunitas in perniciem Reipublicæ vergere soleat.

45 Dixi etiam, iudices inferiores teneri penam lege taxa- tam imponere, quia non potest iudex inferior pro suo arbitratu penam lege taxatam moderari, sed eam iuxta legem teneri imponere, ut patet ex cap. in istis, dist. 4. ubi Pontifex sic loquitur: In istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicant, cum eas instituant; tamen cum fuerint instituta & firmata, non liceat iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.

46 Ratio etiam suffragatur: Iudex enim non habet pote- statem in lege dispensandi, nisi fit supremus: Sed mode- ravi penam a lege posttam, est aliquo modo in lege dis- pensare, si non in toto, saltem in parte: Ergo non po- test iudex inferior penam lege taxatam minuire, vel mo- derari, sed debet penam lege statutam imponere; præser- tim, si pena fit pecuniaria, que interdum applicatur parti læsæ, vel sibi, vel aliis quibus jus aliquod per le- gem acquiritur, tunc enim penæ diminutio, in præjudi- cium tertii vergere.

47 Querens, an leges quibus tributa imponuntur, sint pu- re penales?

Respondeo negative, quia tributa non sunt penæ com- munitatis, neque supponunt culpam que illis vindictur, sed sunt subsidia quædam a populo debita Regibus ad one- ra muneri sustinenda. Nec obstat quod illa onerent sub- ditos, cum discrimen fit inter id quod est onerosum, & quod est poenale. Dixi, communitatis, quia interdum tribu- tum potest in penam statui, potest enim Rex punire ci- vitem vel regnum a quo injuriam accepit, impositione alicujus tributi. Unde Deut. 20. dicitur: Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeras ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est salvabitur, & serviet tibi sub tributis.

48 Dividitur autem tributum in tres species, nempe in rea- le, personale, & mixtum. Reale est illud quod pro rebus immobilibus & fructibus earum quotannis perfolvitur, a quo tributo agri dicuntur vestigales l. 1. & 2. ff. si ager. Personale vero illud est quod tributur rationes personæ, vocaturque census, juxta illud Matth. 22. Licet census dare Cesaris an non? & dicitur a Juristis capitatio, L. Sa- crofancti ff. de sacrosanctis Ecclesiis, ex eo quod solvitur per capit. Mixtum denique illud est, quod tam pro rebus, præsertim mobilibus, quam pro personis imponitur.

49 Querunt etiam hic aliqui, an lex irritans, quæ nimi- rum statuit aliquod esse irritum vice invalidum, sit pen- nalis?

Respondeo talem legem aliquando esse penalem, & in- ducitam propter culpam aut dolum, sive in odium alicujus transgressoris aut culpæ; hujusmodi est irritatio ma- trimonii propter uxoricidium, aut propter adulterium vi- ventem conjugæ commisitum, cum promissione futuri ma- trimonii; interdum vero non esse penalem, & fieri in bo- num alicujus peccati; cujusmodi est irritatio professionis ante annum decimum sextum ætatis, statuta in bonum profitentium & Religiosis, vel irritatio matrimonii inter consanguineos, vel affines in certis gradibus, ob decen- tiam & honestatem. Unde lex irritans in penalem & non penalem lege legalem dividitur, ut notat Rebassus in Concordata, titulo de Collationibus, paragrapho penul- timo.

DISPUTATIO VII.

De Consuetudine.

Hæcenus de lege scripta, quæ fertur a superiore di- ctam est, nunc agendum de lege non scripta, quæ consuetudo appellatur & quid illa sit, & quam vim ha- beat, breviter declarandum. Unde fit

ARTICULUS I.

Quid sit consuetudo, & quam vim habeat?

Dico primo: Consuetudo est jus quoddam hominum mo- ribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum desi- cit lex. Ita Isidorus apud Gratianum distinct. 1. cap. con- suetudo.

1 Explicatur breviter hæc definitio: Consuetudo dicitur primo jus, tum ad exprimentum genus ipsi cum lege scri- pta commune; tum quia debet esse iusta, saltem ratione objecti seu materiæ circa quam versatur, ut infra dice- mus; & per hoc a corruptela seu abusu distinguitur. Igitur consuetudo non sumitur hic pro usu frequenti, sed pro jure quod ex tali usu ortum habet. Dicitur secundo, hominum moribus institutum, ut jam incipiat a lege distin- gui, fertur enim lex a superiore, consuetudo vero a sub- iectis. Gonet, Tom. III.

ditis, cum solo Principis consensu tacito, introduci po- test. Dicitur tertio, quod pro lege suscipitur, & quia con- suetudo, ut infra dicemus, habet vim legis, & loco ejus suscipitur, ubi deficit lex. Cum autem lex tripliciter pos- sit deficere; primo, cum non est; secundo, cum est inu- tilis; tertio cum dubia vel obscura est, pro illo triplici legis defectu consuetudo suscipitur. Nam primo ubi non est lex, suscipitur consuetudo legis introducit, seu vim legis habens. Secundo venit in defectum legis inutilis, consuetudo abrogativa illius. Tertio cum lex obscura vel dubia est, venit in ejus defectum consuetudo, quæ ut in- fra dicemus, vim habet legem dubiam & obscuram inter- pretandi.

Ex his intelliges primo, consuetudinem & præscriptio- nem in aliquibus convenire, & in multis differre. In du- bus enim conveniunt; primo; quia in utraque intervenit aliquid facti, & similiter aliquid juris, quod per factum introducit; secundo, quia præscriptio requirit aliquam consuetudinem facti, & vicissim consuetudo requirit ali- quam præscriptionem temporis. Differunt autem primo in ipso jure, nam consuetudo introducit jus legale, seu jus legis, quo omnes obligantur; præscriptio vero solum con- fert jus domini, aut jus utendi vel fruendi. Secundo dif- ferunt, quod consuetudo introducat per praxim & usum populi; cum enim vim legis habeat, & lex ad commune bonum referatur, debet introduci pro morem & observa- tionem communitatis, nempe populi; at vero præscriptio, cum ad privatam utilitatem referatur, introducit tan- tum per usum & factum alicujus privata persone, ut cum quis hereditate aliqua longo tempore pacifice fru- itur, tunc enim viget præscriptio illius hereditatis in hoc privato homine. Tertio differunt, quod consuetudo ad sue introductionem validitatem requirit tacitum vel ex- pressum consensum Principis, contra quem, vel contra ejus legem consuetudo introducit, ut infra dicemus: at vero præscriptio non requirit consensum ipsius contra quem, vel contra ejus utilitatem præscribit; ut enim Titius contra Cajum prædo aliquo præscribat, non est opus Cajum ipsum tacite aut expressis in hæc præscri- ptionem consentire, sed satis est, ut e ignorante pos- seditio carere & continuare. Denique consuetudo & præ- scriptio differunt ex parte temporis, quod lege determi- natum est in omni præscriptione, non autem in omni con- suetudine, ut infra patebit.

Intelliges secundo, quomodo consuetudo differat ab usu & more: si enim consuetudo spectetur ut est quid facti, idem sere est quod usus & mos, nempe uniformis fre- quentatio actuum liberorum; si vero spectetur ut est quid juris, moraliter relicta ab ipsa uniformi frequentatione humanorum actuum vim habens obligandi ad sic operan- dum, differat consuetudo ab ipso usu & more, qui solum importat ipsam materialem uniformem frequentationem actuum liberorum.

Intelliges tertio, quomodo consuetudo differat a foro & stylo: forum enim non est quodcumque jus usu & con- suetudine firmatum, sed de iis dumtaxat rebus, de quibus judicandum est in tribunali. Stylus vero proprie est modus, qui in scribendo vel loquendo servatur, qui a Jurisperitis transferri solet ad significandum modum quo proceditur in causis & negotiis tractandis.

Intelliges quarto, bonum esse divisionem consuetudi- nis, in consuetudinem contra legem, præter legem, & se- cundum legem: Nam vel consuetudo supponit aliquam legem humanam sibi contrariam, & sic est consuetudo contra legem. Aut nullam supponit legem humanam sibi contrariam, & sic est præter legem. Aut demum supponit legem humanam constitutam, sibi conformem, & sic erit secundum legem. Quamquam hoc ultimo modo non fit proprie consuetudo, de qua hic agimus, cum nul- lum novum jus introducat, sed tantum antiquum, quod lege scriptum supponit, repetitis observantis actibus con- firmet.

Dico secundo, consuetudinem legitime introductam, tri- plicem habere vim, nempe institutiendi, abrogandi; & in- terpretandi legem, eamque posse novam legem instituire, veterem abrogare, & dubiam interpretari.

8 Prima pars probatur primo ex SS. Patribus: Tertullia- nus enim lib. de corona militis cap. 4. sic ait: Consuetudo etiam in rebus civilibus pro lege suscipitur cum deficit lex. Et Augustinus Epistola 86. ad Casulanum, ut referatur cap. in his dist. 11. hæc scribit: In his rebus, in quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & insti- tuta majorum, pro lege tenenda sunt, & sicut prævaricatorum divinorum legum, ita & consensu Ecclesiasticarum con- suetudinum coercendi sunt.

Probatur secundo ratione, quia in ipsa consuetudine le- gitime introducta reperitur ea quæ ad legem requiruntur. Primo materia proportionata, hoc est rationabilis. Se- cundo potestas introducendi juris obligantis, saltem si adsit consensus tacitus Principis. Tertio, voluntas se obligandi. Quarto, manifestatio talis voluntatis, non tam per verba, quam per facta. Quid autem intereit inquit Ulpianus, L. de quibus, Z. 2.